



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XIX. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum, &c. Carm. gen. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Imperio facis, & famulas mihi tendere dextras
 Per longinqua iubesignotas oppida gentes,
 Attonitas famæ nouitate, & nomine tantum
 Audito: & blandis uerba assentantia linguis
 Fingunt, nec tutis satis audent credere muris.

Laus, honor, imperiū Dño, qui robore cinctū
 Me tegit, incolumemq; rapit de morte propin
 Qui mihi perfidiā sceleratā ultricib. armis (qua
 Frangere dat, populosq; facit parēre uolentes:
 Securumq; uetat belli trepidare tumultus.

Qui mihi præsidio est, populi quū sæua rebel-
 Ira furit, mentisq; malę scelerata retūdit (lis
 Consilia. Ergo feram latē tua facta per urbes
 Finitimas: semperq; meo celebrabere cantu
 Sancte parēs, regē qui dura per omnia tutum
 Esse iubes, cumulasq; opibus: plenoq; fauore
 Ipsum, & perpetuū sobolē amplectēris in æuū.

PSAL. XIX. *Cæli enarrant gloriam*

Dei, & opera manuum, &c. Carm. gen. 6.

INSanientis gens sapientiæ,
 Addicta mentem erroribus impijs,
 Tot luce flammaram coruscum
 Cerne oculis animoq; cælum.
 Hinc disce, prudens quā fuit artifex
 Qui templa Olympi fornice flammeo
 Suspendit, & terræ capacem
 Et pelagi sinuauit arcum.
 Dies tenebras, & tenebræ diem
 Semper prementes perpetua uice,
 Non fortuito res caducas

Ire

Ire monent per inane lapsu:
 Sed tota concors fabrica personat
 Dei tuentis cuncta potentiam,
 Non uoce quæ paucorum ad aures
 Perueniat strepitu maligno.
 Nam nec remotis barbara finibus
 Gens ulla terras incolit ultimas,
 Quæ nesciat certa meantis
 Lege poli stabilem tenorem.
 Quis nocte clara lumine flammeo
 Semper micantes non stupuit globos?
 Aut manè castris prodeuntem
 Quum rutilo uidet axe solem?
 Siue ille Eois fluctibus exerit
 Vultus decoros, sponfus uti nouus
 Auro refulgens, gemme aq3
 Tempora conspicuus corona:
 Seu quum fugacem præcipitans diem
 Curru citato tempora diuidit,
 Artusq3 uiresq3 impetumq3
 Centimano similis giganti.
 Abusq3 Eoo cardine ad ultimam
 Metam occidentis sidera permæans,
 Obliqua uitali calore
 Cuncta creatq3, fouetq3, alitq3.
 Sed ordo rerum & conspicuus decor
 Non sic tuentum lumina detinent,
 Diuina ut arcanis habenis
 Lex animos ad honesta flectit.
 Promissa fraudis nescia lubricæ
 Splendore ueri pectora roborant.

Hac

Hac plectitur culpa æquitate, ut
 Pœna iuuet recreetq; damnum.
 Puro recludunt lumine lumina
 Præcepta: puro relligio nitet
 Verenda cultu, quam nec annis
 Cuncta domans minuit uetustas.
 Decreta fas & conscia ueritas
 Astans tabellis seruat aheneis,
 Iucundiora melle, & auro
 Et nitidis potiora gemmis.
 Signata claustris pectoris intimi
 Seruus tuetur iugiter hæc tuus:
 Non inscius custodientem
 Quàm maneat numerosa merces.
 Errata mentis quis meminit uagæ?
 Quæ deprehendet uis sapientiæ?
 Ergo repurga quas refudit
 Clam maculas sinuosus error:
 Fac regna cordis ne sibi uendicet
 Vis impotentis dira superbiæ.
 Sic me malorum è maximorum
 Compedibus facilè explicabis.
 Quæ lingua fudit uerba, quod in sinu
 Secum uolutat mens tacito, accipe
 Placatus, ô nostræ salutis
 Arx, Dominus, Deus, & redemptor.

PSAL. XX. Exaudiat te Dominus in die
 tribulationis, &c. Carm. gen. 2.

Cuncta licet ferro latè populetur & igni
 Infana gentis barbaræ crudelitas:

Tu